in Gallias abitum nunc parat. Ei succedit D. Kimedoncius,
et huic D. Petrus Calaminus, Professor olim Witteber-
gensis, qui ex naufragio Saxonico Neostadium appulit. Mi-
sera est ubique locorum Ecclesiae perturbatio. Duobus
illis fortissimis Principibus Saxone & nostro fideli-
ssimis Nazarenis, seu Sathanae fraude, seu nostris ita
merentibus peccatis, e medio sublatis. In Silesia e term
passim ejiciuntur orthodoxi ministri: crescit fu-
ror vulgi in amplectendis ac tuendis superstitionibus
avitis: ideo passim redeunt spectra diabolica, et mire ho-
mines exagitant. Accepi nuper longam et tristem histo-
riam de diabolo Striegensi, qui tantas in urbe concitat tur-
bas, ut de ea deserenda cives cogitare cogantur. Redeunt
homines ad monachos: defendunt exorcismos: adest ip-
se Satan cum septem deterioribus, ut habeant materiam
exercendae artis suae. Horribilia nobis haec sunt presa-
gia. Nos oremus Deum, ut avertat tenebras, et am-
bulemus in luce dum tempus est. Vale mi optime Isaace
cum familia et amicis, quos ex me salutabis officiose.
Heidelbergae Nonis Junii 1592.

T. stud.

D. Pareus

Ornatissimo et Doctissimo
viro D. Isaaco Crunero, Prae-
ceptori in illustri Gymnasio
Hornbachiano amico suo perchare.

222) Salutem in Christo.

Officium illud tuum, mi D. Paree, quo picturas
illas appetitas ad me misisti, gratius mihi fuit, quam
si decuplo pretiosius aliquid mihi donasses, usque adeo appeto
quicquid de hoc argumento contra Wirtebergicos scribitur, quos scio
odiose semper dogma de praedestin. traducere. Et haec
causa est, cur etiam Controversiae concionem D. Joshani
apprehendi: alia enim ratio est apud plebem, alia in scholis
haec tractandi. Rem itaque praestitisti mihi gratissi-
mam quod utrunque miseris. Dedi negocium bibliopo-
lae Lipsensi, utrum Harnisch agat quo ad sequentes Ide
nundinas domo exemplar afferendum Vindicationis
primae caret; aut ab aliquo bibliopola Heidelber-
gae aut Spira petat. Nam omnino alicunde ex-

trudam. memini siquidem cum apud Nathanem Chytraeum
scriptum hoc fauum inspicerem, me vidisse prolixè ibi de
praedestinatione tractari: cuperem autem videre quomo-
do sermone vernaculo, quem vulgus et plebecula etiam intelle-
gat, explicare hoc commodè poteris: maximè discri-
men illud inter Reprobationem à gratia et Repro-
bationem, quâ destinatio ad damnationem in-
dicatur: inter decretum de non miserando et
decretum de damnatione. Sunt enim in his etiam
Ecclesiis, qui improbantes dogma de praedestinatione
non considerent, quid D. Ursin. dicat de Reprobati-
one à gratia per absolutum Dei beneplacitum: Sed
objiciant tantum illud, quod negarit, destinatos esse
homines ad damnationem sine respectu peccati.
Scripsit autem ille, quod sciam, in vastis illis suis vo-
luminibus aut nihil aut parum admodum de Prae-
dest. et Reprob. nisi in Com. in Esaiam aliquid habeat,
quem non legi. Velim itaque à te diligenter, cum in
hoc argumento verseris, discrimen illud explica-
ri, quidam enim statim regerunt, eadem esse illa duo:
et mirantur ideò, cum fateatur D. Ursin. non ab-
soluto decreto, sine respectu peccati reprobos ad dam-
nationem destinatos esse, cur non et illud largi-
atur, decretum de non miserando itidem cum respectu
peccati factum esse: Si discrimen illud liquidò proba-
ri possit, faverent huic sententiae plurimi: Sed neces-
se esset, mi Paree, etiam aliorum authoritate illud pro-
bari: nam unius cujusdam explicationi ac sententiae
vix subscribere accedere plures audent. Necesse etiam ~~etiam~~
esset perspicuis Scripturae locis discrimen illud pro-
bari. Locus ille in Admonitione Ursini per Hollandiam
multos turbavit. Objiciunt enim aliqui ex D. Urs.
sententia sequi, Decretum Pr. ac Reprob. aut esse

conditionale: aut ordinari à Deo peccata, propter
quæ impios postea velit damnare. Quæso aliquanto
prolixius hac de re in proximis literis mecum agas. Mi-
ratur et D. Sibrandus. Sed in scriptis publicis quæso
ne graveris hæc lenissimè tractare. Est enim senten-
tia ejusmodi, quæ si contra omnia argumenta, quæ
objici possunt, defendi queat, maximè plausibilis
ac grata sit futura. Video tamen alios fore, qui i-
stis libentissimè audiant, non destinatos esse homi-
nes ad damnationem absque respectu peccati, indignè
tamen ferent à b. m. D. Urs. nostro hoc concedi,
quod nudo Dei beneplacito à gratia aliqui repro-
bati sint. Optem à doctiss. hoc viro, cui sero quam
acre fuerit ingenium, et quanta obscurissima quæque
explicandi dexteritas, prolixè hoc doctrinæ caput fu-
isse explicatum: et doleo meam vel illius temporis per
ætatem socordiam: eram enim tantùm annos 19. natus
cum à vobis anno 69. discederem, vel etiam illius, quam
nosti sæpè fuisse, morosit. per quæ stetit ut de tali-
bus cum eo familiarius non egerim. Nunc itaque quid nostri
vernaculo sermone de hoc capite doctrinæ tractant,
id anxiè requiro, ut quando hæc populariter expli-
cari possint discam. Ideò omnem movebo lapi-
dem ut vel Bremæ vel etiam Coloniæ aut etiam
Colonia aut Spira tua omnia mihi comparem
et legam studiose: nostri enim vix latina
nedum Germanica huc perferunt bibliopolæ.
Hinc est, quod tuam illam Germ. Vindicat. tantum
apud Nath. Chy: Rostochii viderim: Victoriam Bibli-
orum nunquam, multò minus quæ contra Mon-
bergenses scripta sunt. Te autem rogo, ne per-
sistas in ea voluntate, pertractato hoc argto,
tollendi manum de tabula: non enim tollas ve-

tim, sed ut maxime admoveas: sic enim pluribus servis quam paucis illis stipendiariis. Saepe nidolui cum viderem in apologiis D. Ursinum ultimas partes concedere Tubingensibus. Certe hoc non faciunt Jesuitae, qui semper Wittebergico urgent quoties video. Sub eis est paucis annotare ubi jam ante rursum sit ista, quae sibi inde reponant, quam nihil videre. Ex istis permutationibus scriptorum triplicis atque quadruplicis liquidissime innotescit veritas, quod in me sum expertus. Rogo itaque ne ab illis abstineas. Quia Amberg[ensi]um injecisti mentionem, in mentionem mihi venit Aurbekii, qui nostro tempore in collegio sapientiae erat et Anabaptistis favebat: quasi mihi significes, an is in illis locis vivat et ad mentem saniorem redierit. Dum haec scribo tristissimum hic accepimus nuncium de Principe Casimiro, quem hic dicunt venereo extinctum: addunt alii etiam in mensum amplificant malum, juniorem etiam Principem eodem modo sublatum, imo etiam Ludov. Wirtebergicum. ** nos itaque adhuc credo: praecipue de genere mortis. Quod si verum esset, Pontificiorum hac stratagemate facta certe essent, atque ibi in magno periculo permanentur Principes. Quod si vel solo Princeps Casim. diem obiit, faxit Deus ne haec mutationem aliquam religioni in Palatinatu aut moribus junioris principis afferant. Gratum feceris, si hic de re aliquid ad me feceras, Deus adesse causae suae, ne quicquam hujus modi scelestis artibus proficiant. Vale. Franck. 6. Febr. 1592.
Salutem ex me D. Kimedoncio dicas plurimam: et scribe quis nam D. Fr. Junio successerit. Martinus Lydius

-S. 9.

Pro munere tuo, domine et amice observandissime literario est quidem praeclaro et eximio ingentes tibi et ago, et habeo gratias, quas utinam possem referre. Quod autem serius tibi gratias ago, in causa est, quod propter luctum in quo versor post carissimae fidelissimaeque meae conjugis obitum, intermisi jam aliquamdiu scribendum ad amicos scribendi officium, de quo etiam nonnulli conqueruntur. Ut autem ad librum tuum redeam, quem mihi dono misisti, ac cujus te authorem esse mihi plane persuadet, illi qui lectis non mihi tantum, sed etiam aliis, qui plus valent ingenio atque judicio, quam ego, grata valde sunt atque jucunda. Docte enim traduntur atque perspicue articuli isti hodie controversi in libro illo explicantur, sanorum doctrina confirmatur, falsa doctrina atque sophismata Ubiquitariorum et ejus gregulum refellantur ac refutantur. Et tamen dubium non est, quin socio[rum]